Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 651

Quelle:
Copyright:

A *fol.* 210. literis purpureis: *Firmiani lactantii ad Donatum de ira dei liber incipit.* Neque hic in Capita ſectus. *Fol.* 211. p. 2. abſunt verba illa: *prodeſſe non poſſe.* item *fol.* 226. illa: *Sed defertur aliunde* usque ad *moveri. Fol.* 228. p. 2. male: *reſipiſcendi ſui.*

A *fol.* 231. rurſus purpura: *Firmiani lactantii ad demetrianum de opificio hominis liber incipit.* Rurſus item continuus. *Fol.* 232. p. 2. probe: *oculis contrectari*, item paullo poſt: *pellibus texit*, pro *pilis. Fol.* 234. p. 2. pro *boues lucas* legitur interpunctum *boues: uaccas.* Sub finem *fol.* 250. p. 2. adeſt illa περικοπη: *dedit ei et conſtituit aduerſarium — uictus proſtratusque diſcedit*, quam ut Manichaeiſmum redolentem *Editio Pariſina ſuprac.* e textu expunxit.

Fol. 252. absque inſcriptione legitur elegans illud *de Phoenice Carmen* incerti Autoris, quibusdam in *Lactantium*, *Barthio* in *Venant. Fortunatum*, *Sirmondo* in *Theodulphum Aurelian.* inclinantibus. Incipit, ut notum: *Eſt locus in primo felix oriente remotus* &c. et finit: *Eternam uitam mortis adepta bono.* Contulit illud jam *Lambecius* cum *Xyſti Betuleji* et *Mich. Thomaſii* editt. *Lactantii*, illa *Baſil.* 1563. f. hac *Antverp.* 1587. 8. et lectionis varietatem adnotavit *Comment.* L. II. p. 788. *edit. Kollar. col.* 600. quo remittimus.

Fol. 254. p. 2. ſequuntur de *Phoenice* verſus XII. ex Metamorph. *Ovidii* L. XV. a v. 391 — 402. deſcripti, quibus *l. cit.* idem officium *Lambecius* exhibuit. Demum *fol. eod.* Codicem terminat absque titulo *Venantii Fortunati Carmen Paſchale* incipiens: *Salue feſta dies toto uenerabilis æuo* &c. quod Diſtichon Editores Pariſini non ſat gravi ratione XIX. aliis poſtpoſuere; adjecere praeterea *Mich. Thomaſium* ſecuti in fine Diſticha V. ex *Cod. Vatic.* quae abſunt a noſtro; variantes item lectiones in margine. Fefellit illos tamen Diſtichon ultimum in voce *Paſtor*, quod ex noſtro ſic reſtituitur:

Quos prius eua nocens infecerat: hos modo reddit
Eccleſie paſtos *ubere lacte ſinu.*

CCIX. VI. J. 14.

528 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 4. ſat nitidum et non contemnendum vetuſti cujusdam Exempli Απογραφον, quod olim *Joh. Sambuci* fuit, complectitur *L. Caecil. Firmiani Lactantii Divinarum Inſtitutionum Libros VII.* absque ſectione in Capita, Locis *graecis* manu recentiore eleganti ſubpletis, et Scriptorum veterum, quibus Autor utitur, in margine adnotatis nominibus. Collatione cum edit. *Pariſina Bruni* et *Lengleti* 1748. 4. inſtituta praeter leviores Librarii lapſus ſequentia obſervare viſum